

rens exponit. Ac negat umquam quemquam Pythagoreorum de anima sensitisse, quod ex ramentis, quae per aerem volitent, esset composita. Ita eum amicus eius, excusator perpetuus, aliquando etiam palam mendacii coarguit.

5 Necessario fuerunt haec omnia praemittenda, ut ex eorum cognitione ac collatione dignosceretur, an ea quae locis, quos afferemus Aristoteles Pythagoreis obiicit iure, an iniuria faciat. Quorum primum illud esto, quod est quaestione de infinito 3. Physico:²¹ *Hi quidem ut Pythagorei et Plato, per se non ut accidens*
10 *cuiquam alteri, sed ut substantia ipsum existat infinitum. Praeterquam quod Pythagorei in sensibilibus, non enim separabilem faciunt numerum.* Primum, hoc falsum est eos non separabilem [311] facere numerum, sed in sensibilibus ponere. Ponebant enim in intelligibilibus numerum, is procul dubio separatus erat in scibilibus
15 etiam atque opinabilibus, antequam in sensibilibus, sicuti amici sui duo nobis tradiderunt.

Deinde, an idem est numerus et infinitum? Infinitum quidem dicebant numerum parem, ut ipse ait: καὶ οἱ μὲν τὸ ἄπειρον εἶναι τὸ ἄρτιον^{xv}, non autem omnem numerum. Deinde cum
20 infinitum id est, parem numerum dicebant substantiam per se esse, symbolice, uti Philoponus hic attestatur, dicebant, nec poterat recta illatione induci eos infinitum in sensibilibus ponere. Tota ergo cavillatio solvitur.

Solvitur etiam alia illa 1. De elementis, capite 1:²² *Quidam enim*
25 *naturam ex numeris constituunt, ut Pythagoreorum aliqui.* Aristoteles formis naturam constare ait. Pythagorei itidem formis, quas uti vi-

²¹ οἱ μὲν, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Πλάτων, καθ' αὐτό, οὐχ ὡς συμβεβηκός τινι ἑτέρῳ ἀλλ' ὡς οὐσίαν αὐτὸ ὄν τὸ ἄπειρον. πλὴν οἱ μὲν Πυθαγόρειοι ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, οὐ γὰρ χωριστὸν ποιοῦσιν τὸν ἀριθμὸν. [ARIST. Ph. 203a.4 – 7]

²² ἔνιοι γὰρ τὴν φύσιν ἐξ ἀριθμῶν συνιστᾶσιν, ὥσπερ τῶν Πυθαγορείων τινές. [ARIST. Cael. 300a.16 – 17]

^{xv} SIMP. in Ph. 9.455.15.